DE FELICI ORTU SERENISSIMI BURGUNDIÆ DUCIS

ORATIO.

Habita in REGIO LUDOVICI MAGNI COLLEGIO, Societatis JESU.

Die Veneris primâ Octobris, anno Domini 1751.

A JACOBO DUPARC, ejuſdem Societatis Sacerdote.

PARISIIS,
Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS Typographi, in Plateâ Cameracenſi.

M. DCCLI.

CUM PERMISSU ET APPROBATIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE FELICI ORTU
SERENISSIMI
BURGUNDIÆ DUCIS
ORATIO.

FUIT illa veterum in conſignandis lætitiæ monumentis conſuetudo, ut, ſi quid fauſtum Imperio fortunatumque eveniret, illud in ære plerumque ad æternam rei memoriam curarent exprimi cum hac inſcriptione, *Felicitas Publica*; ILLUSTRISSIMI ECCLESIÆ PRINCIPES, PRÆSIDES ILLUSTRISSIMI, AMPLISSIMI SENATORES, CÆTERIQUE ORDINUM OMNIUM AUDITORES ORNATISSIMI. Quæ quàm temeraria fuerit appellatio, quàm ſæpè inanitatis pleniſſima, ſatis vel ex hoc uno colligitur quòd illam ob cruentas victorias vulgò conſecrarent, quarum gloria non potuit ad victores populos, niſi cum plurimis eorumdem infortuniis, pertinere.

At verò in hac communi omnium lætitiâ, quam attulit

Digitized by Google

SERENISSIMI BURGUNDIÆ DUCIS ortus fortunatiſſimus, nemo me, opinor, adulationis inſimulabit vel imprudentiæ, ſi in auro, ſi in marmore, ſi in locis monumentiſque publicis has voces, jam in Gallorum animis altiùs exaratas, inſcribi oportere contendam, quæ Publicam Felicitatem natam eſſe ſignificent. Quis enim eam Felicitatem neget poſſe Publicam appellari, quæ non ſolius Aulæ ambitu terminiſque ſit definita, non in ſolam Stirpem Regiam permanârit, ſed per varias totius Imperii Gallici partes diffundatur; neque vim aut robur capiat è vulgaribus lætitiæ teſtimoniis, at ſolidis rationum argumentis ſit ſtabilita?

Nam, ut rem mente conceptam verbis explicem, dico Galliam totam, cùm aliqua Regia Proles expectatur, quæ ſit ſpes Regni pretioſiſſima, duplici nec mediocri timore commoveri vehementer ſolere; ne ſcilicet expetita proles maſcula vel non prodeat in lucem, quo nihil eſſe poteſt Regiæ Familiæ firmitati magis inimicum; vel, poſtquam prodiit, non eos Parentes habeat à quibus regaliter in publicam utilitatem inſtituatur, quo nihil populis accidere ſolet magis incommodum. Igitur idcirco & Regiæ Familiæ & Gallicæ genti gratulabimur, quia DUX BURGUNDIÆ SERENISSIMUS, 1°. in Regiæ Stirpis firmitatem opportunè naſcitur; 2°. in Imperii Gallici utilitatem regaliter inſtituetur. Quam utramque, Auditores, lætiſſimæ gratulationis materiam gemino hujus Orationis capite, vobis, ut ſpero, tum propter argumenti gravitatem, tum propter veſtram humanitatem faventibus, expendam.

Digitized by Google

PARS PRIOR.

QUANTUM ad Regiæ Familiæ firmitatem momentum afferre ſoleat novæ ſobolis ſucceſſio, is facilè intelliget qui ſecum reputaverit, duo vel tria ſceptri præſidia ex illâ ſucceſſione prolis exoriri. Primum eſt perennitas authoritatis in Regibus, quæ majorem in populis reverentiam efficiat. Secundum eſt perennitas munificentiæ, quæ ſpem populorum majorem excitet. Ex eâ verò ſpe firmiſſimâ erumpat neceſſe eſt major quædam ſtudii & amoris in ſtirpem Regiam ſignificatio. Quæ ſingula tanquam robore triplici Regale ſolium pulcherrimè circumcingunt ac protegunt. Favete animis, Auditores, & primùm de eximiâ illâ authoritatis perennitate, quam Regiæ prolis ſucceſſio parit, veterum temporum memoriam & fidem mecum interrogate.

Quam enim aliam eſſe cauſam creditis, cur Reges ſinguli tam anxiè, tam ardenter prolem expetant ferendo Sceptro idoneam? Cur hoc in more poſitum fuerit apud cunctas propemodùm gentes, ut, cùm ſpes obtinendæ prolis corruebat, cùm deficiebant ſucceſſores domeſtici, accerſerent peregrinos, & ſic naturæ vitium adoptionis beneficio corrigerent? Scrutamini hiſtorias, evolvite temporum omnium annales; quærite à Trajano cur Adrianum, à Nervâ

Digitized by Google

cur Trajanum in filium adſciverit; imprimis verò ab illo Auguſto Cæſare, pacatiſſimo univerſi orbis Imperatore, ſciſcitamini quamobrem Tiberio per adoptionem accerſito juſſerit ut ille Germanicum pariter adoptaret. An ignorabat juniorem Tiberii filium in ſpem paternæ poteſtatis adoleſcere, aut ſpem illam juveni præciſam eſſe voluit? Non hæc profectò tua mens fuit, Imperator beneficentiſſime, ut innocenti Puero ullam faceres injuriam, qui extraneos & ingratos ac perduelles pluribus beneficiis tibi ſolitus eras devincire. Id verò ſentiebas, quod omnium ſæculorum teſtimonio comprobatum eſt, licèt in viris Principibus imago quædam Divinitatis effulgeat, tamen illam Numinis effigiem obſcurari quodammodo, & multò minùs ſplendoris apud populos obtinere, niſi Rex à Liberorum numero quaſi novam lucem accipiat, eò ſplendidam magis ac vividam, quòd ab ipſo profecta Rege in Principes Liberos communione reciprocâ propagetur. Unde promptum eſt intelligere, quò plures ſunt Liberi, eo majorem fieri paterno Imperio dignitatis & authoritatis acceſſionem.

Et verò quis erit tam inimicus ſuî, tam ſuorum immemor, ut verbo aut nutu leviſſimo illam authoritatem audeat violare tot tantiſque præſidiis circumſeptam & communitam? Tune hujus poteſtatem non verearis, quæ ipſo vivente firma & valida, etiam deficiente nihil amittit firmitatis, at tota permanet ac perſeverat? Non vides, te violatæ Majeſtatis reum in tuis propinquis aut liberis futurum ſuperſtitem, quibus cum hæreditate domeſticam

Digitized by Google

labem tranſmittes ; Regem verò in ſuis nepotibus avitæ authoritatis aſſertores habiturum & vindices? Qui dum ſuam ſtirpem continuâ ſobolis ſucceſſione videbunt amplificari & novum in dies incrementum capere, Tui interim projecti, calamitoſi, luctuque & mœrore profligati miſeram traducent vitam, & ſævientem nec morituram Regum iracundiam ſentient.

Abſtinere pluribus poſſum, Auditores; neque enim jam ex vobis eſſe ullum puto, qui id dubitet quod nulla unquam dubitavit antiquitas, quod clamant hiſtoriæ, quod omnes libri teſtantur, ubi frequentior eſt Regum Soboles, ibi majorem Regiæ Dignitati authoritatem increſcere. Unum tamen argumentum ex tuorum annalium, Gallia, monumentis petitum, & Ludovici XIII. teſtimonio confirmatum ſubjicio.

Cùm enim Rex fortiſſimus bellicâ virtute illos retudiſſet gladios qui per civitates & Provincias educti volitarent tam effreni licentiâ, nulla ut pars Regni ab iſtâ bellorum tempeſtate fœdiſſimâ vacaret; cùm ex Gallicis urbibus propuliſſet hoſtes exteros ut prudentiâ ſic animi fortitudine ſpectatiſſimos, qui noſtris viſceribus ſtricto mucrone incubarent, & parte Gallorum unâ in alterius cladem, in utriuſque ruinam & opprobrium uterentur; cùm ex eorum manibus ereptum fuiſſet imperium, novâque acceſſione auctum & amplificatum; nunquam tamen, niſi poſtquam Delphinus in lucem prodiit, ſolemniter affirmare auſus eſt Rex prudentiſſimus brevi extinguendam eſſe

Digitized by Google

flammam illam ſeditionis quam in omnes Imperii venas tandiù graſſantem viderat. Teſtes ſunt optimi Regis Litteræ quæ nato Delphino jam jamque naſcituram in toto regno tranquillitatem declarant. Teſtes nummi illorum temporum, in quibus Fama Delphine ſubvecta, innixa anchoræ, olivam dextrâ manu præferens, proculcatis armorum fragminibus, firmiſſimam ubique pacem prænunciat. Tantum ineſt ponderis in Regiæ Prolis ſucceſſione ad conciliandos populorum animos, & ſtabiliendam Regum authoritatem, vel confirmandam!

O felicem igitur, o fauſtam toti Galliæ noctem illam, & die vel pulcherrimâ jucundiorem, quâ BURGUNDIÆ DUX pacem, LUDOVICI XV. auſpiciis jam anteà ſtabilitam, ortu fortunatiſſimo corroboret! O dignum omni plauſu & gratulatione Principem Puellum, quo naſcente oboriatur non modò eximia authoritatis Regiæ perennitas, at etiam (quod alterum eſt Regii ſceptri robur & adminiculum) perennitas munificentiæ, quæ ſpem & alacritatem publicam, in Regiæ Stirpis orbitate vulgò langueſcentem, novis incitamentis extimulet!

Revera ſic populis perſuaſum eſt, cùm Regale Sceptrum, deficiente prole, in alienam ſtirpem tranſiit, ſibi ſuiſque Liberis ferè omnem officiorum & meritorum memoriam cum ipſo Principe plerumque periiſſe. Hinc eſt cur ſtirpem Regiam ubi deficere animadvertunt, (quod ſub Carolo VIII. & Henrico III contigiſſe vidimus) ſenſim inclinatione voluntatis propendere in illum ſoleant quem in

Digitized by Google

ſupremam poteſtatem prævident ſucceſſurum, atque in ejus tutelâ ſpem ſuam ponere ac defigere non dubitent.

At cùm Rex aliquis novâ prole auctus fuit, quæ repentina ubique omnium alacritas! Non metuunt ne honeſtus labor, ne pericula pro Regiâ ſtirpe fortiter exhauſta ſuis præmiis diù careant, cùm Stirpem auguſtam multis liberis videant pullulantem. Sunt illi ſcilicet Regiæ ac Paternæ voluntatis & fidei teſtes ac veluti obſides, quorum permagni intereſt, ſi qua à Civibus in Regiam Familiam profecta ſunt officia, quæ temporum diuturnitas obliteraverit, iis ſuam mercedem tribuere; ſi qua ſpes præmiorum à Rege Parente propoſita fuerit, hanc fovere & confirmare, ut nihil invidiæ Patrio nomini adhæreſcat, nulla in populorum animis ægritudinis veſtigia relinquantur.

Hoc tu apprimè noveras, Ludovice Juſte, cujus munificentia in eos potiſſimùm ſeſe effudit bellatores, qui, ut Henrici Magni Jus contra inimicorum injuriam deffenderent, in ſexcenta pericula ſuum caput objecerant.

Neque illud ignorabat Ludovicus XIV, qui milites veteranos, Ludovico Juſto ſuperſtites, bellicis laboribus attritos, infractos ſenio, confectos vulneribus, vario præmiorum genere recreavit; nec paſſus eſt jacere generoſos homines, per quos floreſcebat vigebatque Regalis Familia, & quorum defenſa ſanguine in lucem libertatemque fuerat vindicata.

At enim licèt multa feceris, Ludovice Magne, ut eos qui ſe tibi totos in bello devoverant, mercede ampliſſimâ decorares, licèt militibus vulnere ſenioque invalidis

Digitized by Google

immenſum & regale hoſpitium extruxeris, in quo fructus laborum uberrimos ſuaviſſimè deguſtarent: quis tamen non videt, te in tantâ fortiſſimorum hominum multitudine neque cognoſcere omnia ſingulorum merita potuiſſe, neque his, etiam penitùs perſpectis planèque cognitis, tantum ſatisfacere, quantum aut illi vellent, aut res exigeret, aut tu ipſe exoptares?

Verùm ſi quam fortaſſe habuit querelam tua illa meritorum minimè voluntaria oblivio, ſi reperti ſunt bellatores nonnulli qui conquererentur, quòd, conſumptis bellorum diuturnitate opibus, nihil ſuis liberis facerent reliquum, præter glorioſi nominis famam, illuſtres titulos, avita decora brevi aut egeſtatis calamitatibus aut ſepulchri tenebris obruenda; ſi, ne multa præſtares quæ promiſeras, mors interceſſit; reviviſce, Umbra nobilis, & vide quàm feliciter horum hominum dolorem tuus Pronepos abſterſerit, quam magnificè erectâ militari Scholâ, cujus conſtruendæ prima lineamenta deſignari cernimus, priſtina veteranorum ducum officia in ipſis liberis remuneret, ac Parentum mortuorum jacturam amore paterno ac regio & per ſe conſoletur & per Sereniſſimum DELPHINUM, quem ſuorum conſiliorum non raro ſocium habet ac participem.

Ad te aliquando cura illa perpetuandæ avitæ & paternæ munificentiæ ſpectabit, Puer auguſte, cùm annis ſuccedentibus, quam nunc tuis affers parentibus lætitiam à tuâ prole accipies, & cum avo Rege & Patre DELPHINO aliquam oneris publici partem ſuſtinebis. Tunc ab utroque diſces,

id

id tibi ſanctiſſimè cavendum, ut cives, quibuſcumque tem poribus in Regiam ſtirpem ſtudia & officia contulerint ſuis præmiis ne defraudentur; tuum eſſe, quod paternâ re ligione & fide Regiâ ſemel obligatum eſt, exolvere: idqu demum intelliges quod nondum animo capis, ſed jam naſ cendo probas, quod & nos demonſtrandum ſuſcepimus nimirum ex propagatâ auguſtæ prolis ſucceſſione perennen quemdam munificentiæ Regiæ fontem aperiri, quæ ſpen populorum & alacritatem ad benè merendum de Regal Familiâ multùm augeat.

Jam verò quid quod ex illâ ſpe præmiorum firmiſſim ſimul exiſtat major ſtudii & amoris in ſtirpem Regiam ſig nificatio? Hoc ut probem, exterorum hominum, qui in Gal liâ verſantur, fidem conteſtari non vereor. Commemorent quantis quàm inſignibus nunc doloris nunc lætitiæ ſigni amor ille noſter prodeat; quis pavor, quæ omnium ſi conſternatio cùm nullus è Regibus noſtris exoritur puer aut huic aliquod vitæ periculum imminet: quæ verò ani mos repentè invadat hilaritas, cùm nova ſoboles naſcitur aut à morte ad vitam revocata eſt.

Atque ut in tenelli BURGUNDIÆ DUCIS Parentiſqu Sereniſſimi exemplo hæreamus, nonne huic amori & ſtu dio tribuendum eſt, quod LUDOVICO XV. DELPHINUM tam cupidè optaret Gallia, quod tam ingens ex ipsâ partûs expectatione ſollicitudo, tantus ex tarditate dolor, tam incredibilis ex felici ortu lætitiæ ſenſus in omnium animis inſideret?

Digitized by Google

Nonne eadem fuit cauſa ſubitæ illius formidinis quæ nuper totam Galliam inſtar fulminis pervaſit; cùm nunciatum eſt DELPHINUM ex alto corruiſſe præcipitem (ſuperi! vel ipſa me verba exanimant) Quis verò luctus, quæ trepidatio mentes omnium vultuſque occupavit! Is erat Gallorum dolor, ut cùm ſcirent SERENISSIMUM DELPHINUM ſingulari Dei providentiâ ab iſto caſu ſervatum, ſolâ tamen periculi præteriti recordatione expalleſcerent; nec ſine horrore quodam & fremitu ſibi fingerent, in aliquod vitæ diſcrimen veniſſe Virum illum Principem cujus in capite ſpes magna Borboniæ Stirpis & totius Imperii conſiſteret.

Nunc verò quod in optatis erat, obtinuimus; cùm ille non modò vivat, quem omnes cupiant immortalem, ſed etiam ſpiret in Sereniſſimo Filio: & noſtram uterque lætitiam vivendo cumulet, quam uterque naſcendo ita excitavit ut nullus unquam ullius Pueri ortus Gallis acciderit jucundior.

Igitur mirum non eſt, ſi hodiernâ die, majori quam olim gaudiorum æſtu, compita ſtrepere acclamationibus, areæ feſtis ignibus collucere, templa fervere cantibus, tota Gallia Poetarum & Oratorum plauſu circumſonare viſa ſit; ſi illuſtriſſimus Pariſienſis Eccleſiæ * Antiſtes prolem Regiam, quæ ſit futura & novum gregi Pariſino decus & firmiſſimum Paſtori præſidium, tot votis, tot precibus, tam incredibili contentione efflagitaverit à ſupremo Numine,

* D. D. Chriſtophorus De Beaumont.

Digitized by Google

tandemque exoraverit; ſi relictâ negotiorum mole, quibus totum ſe tam fortiter impendit, has in ædes cum ampliſſimo illuſtriſſimorum Eccleſiæ Principum ordine convolaverit, ut oratorem ſuâ cohoneſtarent præſentiâ; atque huic animos ad loquendum & fiduciam afferrent, cui ſilentium aliquo modo imperabat cum argumenti gravitas tum propriæ infirmitatis conſcientia?

Vos ipſos, Auditores, hujus hodiernæ lætitiæ teſtes advoco. Videte ut illa ſeſe exerat hujus aulæ inſtructu magnifico & ſingulari apparatu, ut iſti parietes ingenioſis veſtiti emblematibus, tum verò maximè Regiæ Familiæ imaginibus decorati, in plauſum erumpere quaſi geſtiant, & in voluptatis jucundiſſimæ partem venire; ut nullus ſit hac in domo locus, nulla ædes, nullus angulus à continuo plauſu vacuus, & meritò quidem, quoniam nullus eſt qui non habeat Regiæ in nos munificentiæ impreſſa veſtigia; ut Muſæ Claromontanæ abrupto ſilentio, quo his feriarum temporibus uti ſolent, ſparſiſque ac diſſipatis in Publicum carminibus, & à Linguâ Gallicâ dignitatem & elegantiam, à Latinâ cultum & ſplendorem, à Græcâ ſuavitatem & majeſtatem, à Germanicâ ſimplicitatem & robur, ab ipsâ etiam Hebraicâ gravitatem & eruditionem mutuatæ, ſermonem multiplicem uſurpaverint quo ſui amoris immenſitatem faciliùs orbi univerſo teſtatam relinquerent.

Quàm ægrè patior, Auditores, hujus meæ orationis moram, quantumvis brevem, impedimento eſſe quominùs in proximam hujus Collegii aream citiùs concurratis! Quàm

Digitized by Google

dulce ibi offeretur oculis ſpectaculum! Quàm gratæ auribus fient inſidiæ! Jam audire mihi videor lituorum ſonos, tubarum clangores, tympanorum ſtrepitus. Jam video emicare fulgura veluti eliſis nubibus, exire fulmina ingenti fragore, ſtellas volantes, ſoles artificiosè ſuprà omnium capita ſuſpenſos ſine ullius periculo vel timore depluere. Magna quidem per ſeſe, Auditores, lætitiæ argumenta; ſed præ noſtro illo, quem ſignificant, in Regem & Regiam Familiam affectu, exigua & tenuiſſimi pretii æſtimanda!

Perge, Gallia, exulta, triumpha; te decet enimverò inſolitâ lætitiâ efferri, & Borboniæ gratulari Familiæ, cùm felicibus auſpiciis novum exoriatur ſydus, cujus è puriſſimâ luce maximam auguſtæ Domûs gloriam firmitatemque non tam ominari liceat quàm liquidò demonſtrare, uti hac priori noſtræ orationis parte fecimus. Nunc verò quàm regaliter in Gallici utilitatem Imperii ſit inſtituendus Puer, hoc ipſum altero hujus gratulationis capite probandum eſſe præmonuimus.

Digitized by Google

PARS ALTERA.

CUM ex optimâ puerorum Principum educatione felicitas populorum maximè pendeat, ſi Sereniſſimus Burgundiæ Dux inter domeſtica Parentum exempla tenerioris ætatis tyrocinium non eſſet poſiturus, nondum Galliæ felicitati ſatis fuiſſet proviſum. Verùm procul abſit à noſtris mentibus illa cogitatio. Vobis, Galli, metuendum non erit ne perfidis aſſentatorum illecebris aut inſanis præceptionibus imbuatur Puer, qui in auguſtorum Parentum ſinu & amplexibus fovebitur & adoleſcet. Proh! qualis erit illa inſtitutio, quàm verè nobilis & Regia, cui præerunt tot Regiæ virtutes! quàm pulchra, quàm ſana, quàm ab impiis adulatorum placitis àliena, quàm univerſi regni commodis & proſperitatibus opportùna in tenellas aures monita inſtillabuntur, quæ Religionis cultorem aſſiduum, eximium plebis tutorem, egregium Liberalium Artium patronum, pacis & quietis publicæ aſſertorem conſervatoremque fidiſſimum, hoc eſt, optimum Principem virtutibus omnibus ad Gallici Regni utilitatem informabunt!

Atque ut à Religione ducamus exordium quæ viros Principes, quos habet patronos & cultores, ipſa protegit & ſuſtentat, procul à Puello Sereniſſimo abeſſe expedit venales animas, adulatores callidos, Doctores ad ſimu-

Digitized by Google

landum pariter & diſſimulandum eruditos, quibus Religionem proculcare leve eſt, modò ſibi liceat ejus ruinâ tanquam gradu ad fortunæ faſtigium aſcendere. Quid enim agerent, vel potius, quid non agendum ſibi putarent Regiæ educationis Rectores conſtituti cum eâ poteſtate quam nulla authoritas moderaretur aut compeſceret? Quàm nihil omitterent ut primam pietatis & Religionis ſcintillulam ubi micare inciperet, in animo tenerrimo extinguerent!

At Puero præſens aderit DELPHINA, mater natura & affectu, magiſtra ſtudio & ingenio, cujus menti cùm à primis annis pietas non inchoata, non levis, non adumbrata, ſed vera, ſed ſolida, ſed expreſſa hæſerit; quos ipſa à paternâ Religione, à maternâ pietate ſenſus accepit, eos in filii pectus transfundet. Tu verò interim, Puer nobiliſſime, exemplis multo plus quam verbis commotus, Chriſtianas Saxoniæ & Auſtriacæ Domûs virtutes in Matre conjunctas & ſociatas intueberis. Illam admiraberis quam præ ſe fert in templis modeſtiam, quæ omnes Aulæ proceres & rapiat in admirationem & ad imitandum blandè alliciat. Illam in agendo prudentiam ſtupebis, quæ pietatis Religioniſque ſeveritatem eâ hilaritate condiat, eâ temperet comitate, ut Aulicorum ſibi reverentiam & exiſtimationem conciliet. Illum Divinæ Majeſtatis cultum in eâ ſuſpicies, &, cùm licebit per ætatem, tuis moribus exprimes, qui tibi in Matre Blancam alteram, Matri verò alterum Ludovicum nonum in te redivivum exhibeat, cultorem Religionis aſſiduum, & acerrimum defenſorem.

Digitized by Google

Felicem te, o Infans pretioſiſſime, ſive in Matris gr
conquieſcas, ſive in Reginæ auguſtæ complexus tra
ris! Quamcumque enim te converteris in partem, op
exemplis & præceptionibus, quibus puerilis animus
diatur, abundabis.

At ecce, Auditores, appellato Reginæ nomine ſ
plebem Gallicam novâ quadam lætitiæ voluptate p
ſam refici & recreari perindè ac ſi ipſius human
aut miſericordiæ nomen appellaretur, ſibique pla
quòd Plebis Patrona in Regiæ educationis veniat
tatem.

Huc vos, Fæminæ Principes ambitioſæ, quas Gr
quas Roma, quas ipſa tulit Gallia, huc accedite; R
Chriſtianiſſimæ Puellum Regium inſtituenti auſculta
erubeſcite.

Vos non puduit tenerioribus Puellorum Principun
mis inſidiari, captos documentis corrumpere, &
lutem populorum affligendam erudire. Hæc verò p
in populos commiſeratione ſe non modò Regiæ Fa
at plebis quoque Parentem dici, apertè gloriatur.

Vos crebris uſurpaſtis ſermonibus, populos a
natos eſſe ut non ſibi ſed Regibus vivant, nec t
vivant quàm ut ſerviant; ſi humaniter tractentur,
nitate abuti & inſoleſcere; ſi ſuperbè ac duriter, f
Regum voluntatem promptiſſimos. At illa tenello
ſæpiùs ſuadebit inculcabitque, non minùs populis
quàm Regibus populos naſci; obſequium, quod

Digitized by Google

extorqueat, ſervorum eſſe; quod amor imperet, filiorum: quales ergà Regem ſuum decet eſſe omnes Subditos.

Vos unum ſtudebatis omnes, viris Principibus perſuadere, neminem Imperio dignum eſſe niſi & id facere audeat quod animo libitum erit, & id velle quod in ſuâ poteſtate poſitum ſentiet. At illa ſtultam agendi libertatem indignata, quæ Reges crudelitate inſanos, populos deſperatione amentes faceret, admonebit Nepotem dilectiſſimum, ſupremâ lege ſancitum eſſe ut ipſi etiam viri Principes nihil poſſint niſi quod licet, nihil velint niſi quod decet, nihil audeant niſi quod ſalvâ plebis utilitate auderi poteſt.

His verbis ut exempla conſentiant, tibi, Sereniſſime Puer, ob oculos proponet illos heroas qui ſuæ utilitatis immemores ut populorum felicitati conſulerent, non ſibi majorem è longinquo ſtatuebant eſſe reverentiam, ſed ultrò inclinabant ſe ad plebem, nunquam excelſiores quàm cùm ex altiſſimo dignitatis gradu deſcenderent; nunquam pleniores majeſtatis quàm cùm ejus deponerent faſtum, vel partem aliquam cum populis communicando amittere viderentur; nunquam digniores reverentiâ & obſequio, quàm cùm amorem & affectus populorum ſibi humanitate ſtuderent promereri. Aſſumet in exemplum è Borboniâ ſtirpe Henricos, Carolos, Ludovicos; è Lecſinskiâ, Raphaëles & Staniſlaos; de nemine, qui ſit fueritve inter viros Principes beneficentiâ & popularitate commendabilis, præter quam de ſe unâ, conticeſcet.

At

Digitized by Google

At quas dotes tacebit Reginæ modeſtia, has in luce publicâ collocabit memor beneficiorum populus. Prædicabit Gallia, quantâ humanitate cives omnes calamitoſos, at eos præſertim excipiat quos fortunæ præſentis miſeria & præteritæ proſperitatis recordatio in conſpectum hominum venire prohibet; quàm ſingulari curâ, dum eorum egeſtatem ſuis opibus ſublevat, animorum quoque moleſtias omnemque malorum ſtirpem ſermone humaniſſimo radicitùs evellere conetur; quàm eximia ſit illa affabilitas quæ ita ſpirat in ejus vultu, ita vivit in moribus, ita in verbis ſe ſe explicat, ut & novum inde accedat beneficiis pretium, atque his etiam qui aliquando, ſed ab invitâ, repulſam ferunt, tam pretioſa propè videatur, quàm ipſum beneficium. Quid non ſibi adpromittant populi ex inſtitutione hujus Pueri Principis, cui tanta humanitas ſemper obvia & præſens ante oculos verſabitur?

Neque tamen hoc ſatis eſſet ad commendationem Ducis Sereniſſimi, ſi quam in populos præ ſe ferret humanitatem, eandem in liberales artes oſtentare erubeſceret; ſi eas negligi & contemptas jacere, ſi per vim ſuis ornamentis nudari & ſpoliari pateretur; ſi tanquam peſtes ad mores depravandos & ad emollienda ingenia comparatas, ex omnium Imperiorum finibus exterminandas eſſe pronuntiaret; quod à nonnullis Regibus factum legimus.

Quanquam, quid ego hæc commemoro? quid juvat eventus futuros & incertos in metu ponere, ubi nihil apparet periculi? Si quis tamen teneriorem Pueri Principis animum

Digitized by Google

furtim his peſſimis inquinaret opinionibus, hac peſte malignius afflaret, ſolo Staniſlai Proavi conſpectu venenum expugnabitur.

Quis enim liberales diſciplinas non præcipuo quodam amore diligat, non ſummâ colat obſervantiâ; quis deſidiæ, quis pravitatis, quis ignaviæ maculam iis malè inuſtam non ſentiat, cùm defixis in Staniſlaum oculis, illum cogitabit omni Litterarum ſtudio à teneris excultum, mox à Muſarum conſórtio ad belli pericula ſubitò traductum, pernoctantem ſub dio, per campos & nemora totos dies volitantem in equo, ſudoris quàm quietis, vigiliarum quàm voluptatum amantiorem; cum milite, animi fortitudine; cum Duce, conſilii prudentiâ: cum optimo quoque, probitate, abſtinentiâ, virtutibus omnibus certantem: uno verbo imitatorem aſſiduum & indefeſſum comitem illius Caroli XII. Suecorum Regis, cui placuiſſe fortitudine bellicâ laus fuit virtutis perfectiſſimæ; quid ergò in conſiiorum, quid in laborum, quid in periculorum, quid in triumphorum partem veniſſe? Veſtram fidem, Auditores! Eritne aut eſſe poteſt quiſpiam magis idoneus, ut fugam otii, laborum patientiam, conſtantem ergà omnes liberales artes benevolentiam in Puerili pectore imprimat, quam Heros ille magnanimus, qui varias vitæ ſuæ ætates in vario laborum genere, teneram in ſtudiis liberalium artium, juvenilem in bellorum periculis, mediam in perferendis fortunæ telis contrivit? qui etiamnum ex quo in portum pleniſſimum dignitatis ab illis fluctibus ſe contulit, cùm

Digitized by Google

ipſi, quemadmodum & magno Scipioni, ſenectus viriditatem non abſtulerit, nullum temporis punctum laboribus & beneficiis vacuum abire patitur: bonarum artium amicus & amor, cultor & patronus, animo verò & exemplis, conſilio & opibus, voce & calamo defenſor & vindex; tamque ſincerus optimorum ſcriptorum & alienæ laudis admirator, quàm ipſe, dum ſcribit, admiratione & laude digniſſimus.

Has tantas, tam eximias virtutes, quas in Delphinæ Parentis ſinu, in Reginæ auguſtiſſimæ exemplis, in Proavi factis illuſtribus hauſerit Puer, quantò faciliùs mente imbibet ac retinebit, cùm eas in tuis moribus, Serenissime Delphine, expreſſas intuebitur; pietatem ſummam, quæ facit ut Religionem munificentiâ & ſtudio non minùs quàm Regii Nominis authoritate & patrocinio protegas; humanitatem ſingularem, quâ LUDOVICI imitator & æmulus, te proceribus benevolum, populis amicum, utriſque cum dignitate, neutris cum imperio exhibes; maximam nec tacitam benevolentiam & in litteras politiores quas cultu & ingenio decoras, & in omnes Litteratos, quorum famam & laborem dum tutelâ & præſidio complecteris & foves, tibi ipſi apud poſteros nunquam periturum nomen conſecras?

Quid loquar de illâ bellicâ fortitudine, cujus impetu abreptus in Prælio Fontenæo parabas in pericula, tuæ noſtræque ſalutis oblitus, te projicere, ut hoſti vel reſiſtenti vim faceres, vel inſtares fugienti? O Superi! quales in

Digitized by Google

anguſtias Galliam immiſiſſes, niſi te à pugnâ prohibuiſſet LUDOVICUS, bis Patriæ Pater ob duplex beneficium appellandus, alterum quo vel propriæ vitæ diſcrimine Galliam ab hoſtili gladio, alterum quo te ab iſto imminenti periculo ſervaverit?

Sed ſum ego fortaſſe imprudens, qui bellorum mentionem fecerim, quorum vel ipſum nomen ne Puelli Principis animum ad bellicos tumultus aliquando permoveat, populi extimeſcunt. At difficile eſt Infantem Regium tot bellicoſis natum Heroïbus, reptantem inter laureatas Majorum imagines & trophea domeſtica, ingenti bellicæ gloriæ deſiderio non inflammari. Quo enim fieri pacto poterit, ut creſcentis Puelluli animus non efferveſcat, cùm auribus obſtrepent Regum noſtrorum militaria facinora, cùm animadvertet pleroſque Heroas idcircò potiſſimùm multæ exiſtimationis eſſe apud poſteritatem, quòd alios incredibilis in comparando bello ſapientia, alios mira in ſuſcipiendo celeritas, hos ſingularis in hoſtibus occupandis induſtria, illos invicta in debellandis fortitudo commendaverit; nec verò ex iis ferè ullum Magni appellationem, niſi bellorum difficultate, victoriarum claritate, triumphorum gloriâ conſecutum? Num ipſum fugiet belli poſtremi recens memoria & celebritas? Nonne erumpent quodammodo & in ejus oculos incurrent LUDOVICI XV trophæa quorum ſplendore orbis univerſus illuſtratus eſt?

Ergò hic erit Regiæ educationis exitus, ut poſtquàm otii & quietis inſidias effugerit DUX BURGUNDIÆ, in

Digitized by Google

hos ambitionis & gloriæ ſcopulos magno populorum luctu incidat ! Ergò qui ab optimâ Inſtitutione factus fuerit Religionis cultor, tutor Populi, Artium Liberalium patronus; quem Gallia futurum quoque pacis & quietis publicæ conſervatorem ſperaverat, is armorum fragore, deprælian-tium furore, morientium clamore nihil antiquius habebit, nihil prius, quàm ut domibus orbitatem, & imperiis vaſtitatem afferat, nullaſque lauros colligat niſi humano cruore ſquallidas ! Siccine quæ ab externis pericula timebamus, ea in Regiæ Familiæ ſinu, in virtutum omnium domicilio reperiet !

Sed confirmate animos, Auditores; idem erit pavoris & cauſa & remedium LUDOVICUS. Cujus ingentes victoriæ ſi Puelli animum vehementi æmulationis impetu commoveant, brevi hic ardor ſubſidet, ille deferveſcet impetus, cùm audiet quid LUDOVICUS fecerit in medio triumphorum æſtu; quàm ſubitò victoriæ curſum felicem repreſſerit; quàm longè majorem gloriam dùm ſubjectis hoſtibus dat ſalutem, quàm cùm armatos debellaret, ſit conſecutus; atque hâc animi moderatione, quæ laus eſt victoris propria, heroïs optima, clariſſimos antiquitatis vicerit Imperatores, & Alexandri Cæſariſque famam hâc parte obſcuraverit.

Equidem uterque illorum eſt viſus aliquandò, etiam in mediâ victoriâ, humanitatis aliquid & moderationis adhibere, hic debellato Poro cùm vitam & Regnum reddidit, ille cùm in acie Pharſalicâ juſſit milites civibus Romanis

parcere & ferro abſtinere. Sed, o ſingularem ſanè Macedonis clementiam, qui debellatis gentibus permittebat quietem ut nondùm domitis auferret! O eximiam Romani moderationem, qui civibus conſulebat in eâ pugnâ ubi cum laude poterant pro Patriâ occumbere, ut devictos pace ignominioſâ ſubigeret, eoſque in obſcuro terrarum angulo vetabat mactari, ut majori deindè cum apparatu quaſi ſolemne quoddam ſacrificium, incruentum illud quidem & pacificum, at indecorum & ignobile, fremente nequicquàm Patriâ, turpiter nobilitarent; in quo adeſſet, ut ita dicam, præſens Deus, Cæſar; templum, Roma; ara, Capitolium; victima, libertas; Sacerdos, ambitio; orbis autem univerſus novo Numini partim lacrymis & ſilentio, partim laudibus & adulatione ſupplicaret.

At vultis, Auditores, rem totam & comparationem unico verbo expediam? Ponite utrumlibet LUDOVICI loco noſtris exercitibus nuper præfuiſſe, tum maximè cùm inimica nobis Imperia, viribus opibuſque exhauſta, bellis concuſſa domeſticis, crebris attrita cladibus, victori LUDOVICO paterent. Qualis fuiſſet Alexandri aut Cæſaris cupiditas & impetus! quàm ſubita vicinarum urbium depopulatio! quàm celeriter uterque nullis retardatus hoſtium precibus, nec deceptus promiſſis, hoſtilem regionem ferro flammâque funeſtatam ſuo ſubjeciſſet imperio, Cæſar ut ſuperiorem, Alexander ut parem, haberent neminem! Hîc tuos Heroas agnoſcimus, ambitio, quorum proprium eſt depugnare ad ſatietatem & cruoris ſitim priùs non reſtinguere,

Digitized by Google

quàm totum hoſtium ſanguinem exhauſerit gladius & furor combiberit!

Quibus ſi LUDOVICUS abſtinuit, ſi vanos hoſtium conatus cùm in ipſorum ruinam poſſet convertere, diù tamen ſuſpenſa fulmina comminatus eſt ne vibraret; ſi victricem manum deinde compreſſit ne victos obrueret, quis illud ſummæ moderationis opus fuiſſe negaverit?

Hanc tu in LUDOVICO virtutem contemplare, o Puer auguſte; & ſi quando te aliqua bellicæ laudis ambitio extimulet, avum intuere; & memineris, Regem qui pacis commoda victoriarum illecebris potiora æſtimat, tantò magis bellicoſis Heroibus præſtare, quantò pulchriùs eſt amori eſſe quàm terrori, animos ſibi conciliare quàm expugnare urbes, pacare orbem quàm igne & ferro ſubigere.

Sed ut illuc, unde profecta eſt, revertatur oratio, reſpice te, Gallia, & gratulare tibi quòd nihil ad perfectam hujus Pueri Principis educationem ſit deſiderandum; quòd multa potiùs in id conſpirent, ut ex eâ fructus capias ampliſſimos.

At vos oratori parcite, Parmenſes Populi, vos ignoſcite, Neapolitani, vos imprimis, Hiſpani, date veniam, ſi, ne oratio in immenſum creſceret, nihil de illorum Borboniorum Principum laudibus attigerim, quorum quanta ſit in regnando prudentia, ut nullus eſt in Europâ populus qui ignoret, ita inter vos, qui non ſit expertus, eſſe neminem exiſtimo.

Jam verò huic orationi antequam finem impono, non me pudeat oratorem Chriſtianum & Gallum, coram cœtu

Digitized by Google

nobiliſſimo, & Religionis & Borboniæ Familiæ obſervantiſſimo, Summi Dei majeſtatem & conſecrata pietati nomina in ſtirpis Regiæ & in Regni Gallici tutelam advocare. Nunc igitur te, omnimodè immaculata Supremi Numinis Parens, cujus Patrocinio Gallia tam ſolemni pompâ mancipata eſt; vos, cœleſtes Genii, quorum præſidio regitur vigetque hoc imperium; Te verò imprimis, ſuperorum omnium Deus, Regum & populorum Arbiter, quo volente conturbantur Imperia vel conſiſtunt, confirmantur ſolia vel titubant, eriguntur ſceptra vel cadunt, Te, inquam, imploro atque obteſtor, ut beneficiis tuis cumules & Regem pacificum, per quem tot populi ab importunitate bellorum reſpirant, paciſque dulcedine perfruuntur; & Reginam auguſtiſſimam, quam conjugio felicem, prole feliciorem cùm feceris, optamus tot maſculorum Nepotum conſpectu reddas beatam, quot virtutibus chriſtianis ornata eſt. Eandem donorum copiam cumulatiſſimè congeres, tum in hunc DELPHINUM Parentem Sereniſſimi Pueri, in quo nunc Infante ſeipſum recognoſcit Pater formâ præſtantem, habitudine corporis firmum, valetudine integerrimum, mox in adoleſcente ſuas naturæ artiſque dotes egregias diù contemplaturus; tum in DELPHINAM, conjugem DELPHINO conjuge digniſſimam, quæ Filium informando ſuis dignum Parentibus efficiet; tum in Puellas Principes, LUDOVICI Filias, in quibus jam dudum admiratur & amat Gallia indolem amabiliſſimam, blandumque & elegans ingenium quod à naturâ plurimum, nec

à

Digitized by Google